



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

233. Qualiter electio accepta in strictiſſima ſua ſignificatione definiatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

CAPUT SECUNDUM.

DE ELECTIONE.

PARAGRAPHVS I.

De Electionis natura.

Questio 232. Quotupliciter usurpetur Electionis nomen, & quid rei significet secundumceptiones singulas?

1.



Respondeo primò: sumitur theologicè, seu moraliter; diciturque electio moralis, quâ ex pluribus mediis ad finem intentum conducentibus unum præ alio præaccipitur. Pass. de elect. c. 1. n. 25.

2. Secundò canonicè, prout nimirum usurpatur à SS. Canonibus. Quod fit quadrupliciter. Primò generalissimè, prout comprehendit electionem strictè talem, postulationem, nominationem, præsentationem, collationem, institutionem. Tholos. partit. juris can. l. 1. tit. 29. c. 1. num. 2. (tribuitur namque & his quandoque electionis nomen præsentationi. cap. querelam. h. r. collationi. c. cum Ecclesia. h. r. &c.) sicque sumpta describi potest; quòd sit promotio alicujus ad beneficium vel munus Ecclesiasticum; quæ rectè dicitur electio; quia qui promovetur, præ aliis ad habendum beneficium assumitur. Pass. loc. cit. Secundò generaliter seu minus adhuc strictè, prout quidem excludit collationem, præsentationem, nominationem; non tamen postulationem: estq; promotio alicujus ad beneficium, vel munus Ecclesiasticum facta canonicè per suffragia. Pirh. hic num. 1. Tertiò strictè ac propriè, prout postulationem quoque excludit, addendo nimirum priori definitioni rō idonei, hoc est, impedimento canonico dispensabili non impediti; Neque enim apparet, unde electio propriè talis coarctanda sit ad dignitatem vel Canonicatum. Pass. loc. cit. num. 35. Quartò denique specialissimè & strictissimè prout respicit Prælaturam, & quidem talem, vi cuius efficitur quis caput, & veluti sponsus Ecclesia viduata. Azor. insit. moral. p. 2. l. 6. cap. 14. quest. 2.

Questio 233. Qualiter electio accepta in hac strictissima sua significatione sit definienda?

Respondeo: quòd sit persona idonea ad Ecclesia vacantis pastoralem dignitatem per eorum, quibus id competit, suffragia canonica vocatio. Intelligendo primò nomine Ecclesia vacantis Ecclesias tam regulares quàm seculares. Azor. loc. cit. Tholos. hic c. 4. num. 2. Intelligendo secundò per pastoralem dignitatem Prælaturam eorum, qui ut caput cum jurisdictione ordinaria ac generali, Episcopali nimirum, vel quasi Episcopali præfunt Ecclesia, quocunque vocentur nomine Episcopi, Præpositi, Abbatis, Prioris, &c. Azor. & Tholos.

loc. cit. Etsi enim Episcopi magis propriè sint sponsi, & Pastores, ac proinde magis propriè per eorum mortem Ecclesia dicitur viduata, convenit tamen idipsum quoque Prælatis & Ecclesiis regularibus, & quibusdā Collegiatis secularibus. Azor. loc. cit. Pirh. hic num. 1. Intelligendo tertio per vocationem canonicam illam, in qua servata forma eligendi à SS. Canonibus præscripta; ita ut ea, in qua servata forma canonica, etiam quòdā solennitates dicatur magis strictè canonica; illa verò, in qua servata sunt omnia substantialia de jure servanda, licet non quòdā omnes juris solennitates, dicatur minus strictè canonica. Illa denique non nisi in sensu latissimo canonica, quæ habet formam solum naturalem, nimirum consensum eligentium de jure naturali requisitum. Pass. loc. cit. num. 38.

Questio 234. In quibus electio strictissimè talis distinguitur à collatione?

Respondeo in sequentibus: Primò, quòd collatio sit actus Superioris conferentis beneficium; Electio est actus subditorum egens confirmatione Superioris. Pass. loc. cit. Secundò, quòd collatio det jus in beneficio, dignitate, &c. ita ut is, cui sit, eā acceptatā vi illius sit Dominus beneficii eo modo, quo competit esse Dominum beneficii. c. si tibi absenti &c. de præbend. in 6. ibid. Barb. num. 4. Franc. num. 3. Garc. de benef. p. 4. c. 2. num. 1. &c. Electio econtra non nisi jus infirmum & tantum ad beneficium. c. nihil. h. r. Abb. in rubrica de postul. num. 1. Sylv. v. electio n. 4. Pass. loc. cit. Unde etiam electio dicitur vocatio ad beneficium, non institutio. Ant. de Butrio apud Laym. h. r. in principio. num. 4. Item Electi beneficia non vacant ante confirmationem, & Electo mortuo ante confirmationem, non per hujus, sed per prioris Prælati mortem vacat beneficium. Pirh. num. 2. cum communi. Electus ante confirmationem etiam sine consensu Superioris potest renunciare beneficio. Gl. in c. si electio. h. r. in 6. Ac denique ante confirmationem administrare beneficium, aut prælaturam non potest. c. qualiter. h. r. Neque his obstat, quòd Papa & Generales Ordinum mox, ut electi consentiunt electioni, habeant jus in prælatura. Prius enim est ex speciali institutione DEI, quâ positā electione & consensu in eam, ut condicione, tali personæ confert jurisdictionem universalem. Alterum est jure specialiter sic disponente, ut talis electio generalis mox, ut legitime celebrata, ipso jure confirmata censeatur. Pass. loc. cit.

Questio 235. In quibus differat electio à præsentatione?

Respondeo in sequentibus: Primò, quòd licet præsentatio non ita innitatur gratiæ sicut postulatio, in quantum non eger, ut super defectu præsentati dispenseretur; Superior etiam teneatur instituere præsentatum, dum hic idoneus est (uti idem